

# **Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 32**

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Hludowicus divina favente gratia rex. Cum petitionibus sacerdotum iustis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna gratia nos muniri non dubitamus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctae dei ecclesiae ac nostris praesentibus scilicet et futuris, qualiter vir venerabilis Brunwardus abba ex monasterio Heroluesfeld, quod est situm in pago Hassense super fluvium Fulda, constructum in honore beatorum apostolorum Simonis et Tathei, veniens in procerum nostrorum praesentia praesentavit obtutibus nostris privilegium, in quo continebatur, qualiter antecessor suus Lullus quondam episcopus in suo proprio ipsum monasterium aedificasset et domni Karoli avi nostri nec non et genitoris nostri Hludowici piissimis imperatoribus sub eorum tuitionem ac defensionem tradidisset, et abbatem ipsi monachi de praedicto monasterio sibi licentiam eligendi habuissent; et si ibi reperire non potuissent, in quocumque monasterio infra ipsa parochia, qui sub regula sancti Benedicti repertus fuisset, licentiam habuisseut sibi abbatem eligere; et episcopus seu archidiaconus in ipso monasterio nullam potestatem habuissent nisi secundum sacros canones et instituta patrum illorum ministerum peragere; et neque comes neque ulla iudicaria potestas in villis eorum vel rebus aliquid exactari praesumerent. Sed pro integra firmitate ac securitatis studio venerabilis vir Brunwardus abba et monachi ibidem deo famulantes postulati sunt magnitudinem nostram, ut in elemosina nostra ipsum monasterium, sicut a piis principibus concessum atque confirmatum esse dinoscitur, ita deinceps sub nostra defensione vel tuitione recipiremus. Quorum petitionem pro mercedis nostrae augmento vel pro animae nostrae remedium seu pro reverentia ipsius sancti loci denegare noluimus, sed, sicut dive memoriae ac pie recordationis dominus Karolus avus noster nec non et genitor noster Hludowicus imperatores ipsum monasterium sub eorum tuitione vel defensione habuerunt, ita et nos libenti animo praedicto Brunwardo abbati et monachis ibidem consistentibus pleniter concessisse atque in omnibus confirmasse omnium fidelium sanctae dei ecclesiae cognoscat industria. Praecipientes ergo iubemus, ut neque episcopus Mogonciae civitatis aliam sibi in praedicto monasterio usurpet potestatem, nisi secundum quod in sacris canonibus est constitutum, scilicet praedicare et ordinare atque confirmare vel ea, quae ad suum pertinent ministerium, legaliter peragere; similiter neque archidiaconus eius, extra quod praedicti sacri canones iubent, ullam sibi vindicet potestatem. Insuper etiam neque comes neque quislibet iudicaria potestas in villis eorum vel in illis rebus aliquid exactare ullo umquam tempore praesumant neque mansionaticum neque aliud ullum impedimentum praedictis monachis facere temptent, sed in futurum sub nostra defensione vel tuitione cum omnibus suis rebus per hanc nostram auctoritatem securi persistant. Et quando quidem abbas de ipso monasterio de hac luce migraverit, volumus, ut ex nostra auctoritate licentiam habeant secundum sacros canones et regulam sancti Benedicti sibi abbatem eligere de ipsa congregacione; et si ibi minime reperire nequiverint, tunc sibi ipsa congregatio de quocumque monasterio infra ipsa Parrochia abbatem regularem eligere voluerint, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi ; et quando deo volente electus fuerit, ad nostram eum usque perducant praesentiam, ut ibi examinetur, si dignus dignus sit tali ordinari officio; et si a nobis probabilos esse videtur, eorum consentiamus voluntati, ut melius illis delectet pro nobis coniuge proleque nostra atque pro stabilitate totius regni nostri domini misericordiam alacriter exorare. Hanc quoque auctoritatem, ut pleniorem in dei nomine obtineat vigorem et a fidelibus nostris verius cerciusque credatur,

manu propria subter eam firmavimus et anuli nostri impressione adsignari iussimus. dominus rex fieri iussit et Ratleicus magister scribere precepit. Signum domni Hludowici gloriosissimi regis. Comeatus notarius advicem Radleici recognovi et Comeatus notarius advicem Ratleici recognovi et subscrispi. Data II kalend. novembr. anno Christo propitio XI regni domni Hludowici regis in orientali Francia, inductione VII; actum in Heroluesfeld monasterio; in dei nomine feliciter amen.